

05

A

2362



DISPUTATIO IURIDICA

De

PATRIA POTESTA-
TE, NVPTIIS, LEGITIMATIO-
ne, adoptione, & modis dissolvendæ
patriæ potestatis.

Extit. 9. 10. 11. & 12. Instit.

Quam

In celeberrima VVitebergensium Acade-
mia.

Sub presidio.

Dn. ALEXANDRI FABRI
J. U. D.

*Ad diem 4. Mayj private Nobilissimorum & Doctis-
simorum Dnn. Collegarum discussioni horis matutinis
& pomeridian. subijciet, & defendere anni-
tetur.*

IOHANNES GEBHARDVS
Reinhardio Glacensis.

WITTEBERGÆ
Ex Typographia Andrea Rüdingeri
ANNO 1611.



*Nobiliss. Consultiss. Clariss.
Viris.*

Dn. HERMANNO MVNDRICH.
I. V. D. &c. inter Breslæos.

Dn. BERNHARDO GOLTAMMERO.
Sac. Cæs. Mtis. secretario Ducatus Monstere
bergenf. & Diœcesis Franckostenenf.

Nec non

DNO. IACOBO IACOBI
Civi Reipub. Vratisl. honorato

*Dnis. Mecœnatib. fautoribusq; suis omni observan-
tiarum genere Colendis.*


dedicat atq; offert.

**Iohannes Gebhardus Rein-
harzio-Glacenfis**




05 A 2362





Continuatio.



Personæ vel alieni, vel sui juris sunt. Alieno juri subjectæ sunt vel in potestate Dominorum, vel in potestate parentum. De illis superiori disputatione actum est. De his & modis quibus in patria potestate constituentur, & ea eximantur, hac vice dispicimus.

Thesis I.

Patria potestas (a) est jus, quod pater habet in liberos. (b) Patrem autem intelligimus, qui sui juris est, (c) sive primi gradus sit, sive ulterioris. (d)

(a) ita dicta, quod soli patri competit, *Vult. lib. 1. I. R. c. 17.* (Sunt a. synonyma, patria potestas, nexus paternus *l. cum oportet. 6. §. cum autem. 3. C. de bon. qua liber. vinculum patriæ potestatis l. pactum. C. de pact. conuent. sacra paterna l. quidam C. de fidei com. l. de emancipatis. C. de legit hered. sacra patris. l. ult. C. de curat. furios. Vult. ad rit. de patr. potest. n. 3. Borch. ibid. cir. pr.) Mater enim liberos in potestate non habet, §. *femina 10. Inst. de adopt. etiam si eos ex indulgentia principis ad solatium liberorum amissorum adoptaverit. Aldobr. ad d. §. 10. n. 5. Theodor. Marsil. ibid.* In nomen tamen matris adoptivæ filios transfisse idem *Marsil. ex Cicer. Epist. 8. lib. 7. ad Attic. probat.**

(b) *l. 3. & 4. ff. de his qui sunt sui vel al iur. §. 2 Inst. h. r.*

(c) qui enim in potestate est, alium in potestate habere nequit *l. si maritus. C. de patr. pat. l. 10. ff. de acq. rer. dom. l. 118. ff. de R. I.*

(d) *d. l.*

(d) *d. l. 4. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.* Pater enim non tantum filium; sed etiam avus nepotem, & pronepotem, & sic deinceps in potestate habere potest, *§. ult. Inst. h. t. scil. ex filio vel nepote natum.* Qui n. ex filia nascuntur, non matris sed patris familiam sequuntur *d. §. ult.*

II.

Hoc jus, quod in liberos habemus, inquit Imp. proprium est civium Romanorum. Hinc quaeritur, quo jure patria potestas sit intrducta? Alij ejus originem juri gentium: Alij juri civili attribuunt. utraq; sententia dextre intellecta vera est.

Patria n. potestas consideratur dupliciter, in genere & in specie. In genere accepta recte dicitur juris gentium: Naturalis a. ratio apud omnes gentes jubet liberos parentibus parere *l. 2. ff. de l. & I. Deuter. 21. v. 18. Exod. 22. v. 17. Coras. ad l. 3. ff. de his qui sunt sui vel al. jur. Förster. p. 1. disp. 3. th. 13. Connan. lib. 2. com. c. 13. n. 2.*

In specie vero considerata, quatenus cives Romani utuntur, juris civilis est, *Vult. ad tit. de patr. potest. n. 14. Phil. Haenon. disp. 2. th. 2.* Alij distinguunt inter patriam potestatem & jus patriae potestatis. Illam dicunt esse juris gentium: Hoc juris civilis. *Vacon. a. Vacun. lib. 1. declarat. 8. Quae distinctio quoq; à juris ratione aliena non est.*

III.

Patriae autem potestatis varij sunt effectus, (a) quibus annumerantur jus vitae & necis in liberos, (b) eosq; distrahendi potestas. (c)

(a) de quibus videatur *Ascan. Clement. Amerin. in tract. de patriapot. per tot.*

(b) *l. ult. C. de patr. pot. l. II. ff. de liber. & postum.* Hoc autem non sine justa causa hodie sublatum est: Patria enim potestas non in atrocitate sed in pietate consistere debet

debet *l. 5. ff. ad l. Pomp. de parricid.* Sic jure divino non potestas vitæ & necis, sed levis saltem castigatio parentibus in liberos concessa est *Ephes. 6. v. 4.* ubi parentes jubentur liberos educare *ἐν τῷ αἰδία καὶ ὑποταξίᾳ κυρίου*. Quo nomine etiam *Deuter. 21. v. 19. & seqq.* pater non jubetur filium suum contumacem & proteruum occidere, sed ad seniores populi, & ad portam judicij, deducere, ut à populo lapidibus obruatur. Nec tollendæ sed conservandæ vitæ potestatem natura parentibus dedit §. i. *Inst. de I. N. G. & C. l. 15. ff. de inoff. test. Dissent. Bodin. lib. 1. de Republ. c. 4.* qui pernicioso exemplo patribus jus vitæ & necis in filios ademptum esse asserit.

(c) *l. fin. C. de patr. qui filios distrax. Schneid. ad §. 2. de patr. pot. Coras. ad l. qui liberos. ff. de R. N. n. 8. Arum. disp. 2. th. 2.* Quapropter jus distrahendi liberos soli patri, non etiam matri conceditur. *Arius pinel. in Rubr. C. de Bon. mater. p. 2. n. 20. & seqq. Schneid. ad tit. de patr. pot. n. 29. Arum. d. loco. th. 3.*

4.

Causæ constituendæ patriæ potestatis sunt justæ nuptiæ, (a) legitimatio, (b) adoprio (c) Inter quas potissimum locum obtinent justæ nuptiæ, de quibus primo loco agemus. (a) *pr. tit. Inst. de patr. pot. l. 4. ff. de his qui sunt sui vel al. jur. (b) §. ult. Inst. de nupt. l. 10. l. 11. C. de natur. liber. Nov. 94. & 89. (c) pr. tit. Inst. de adopt. l. 1. & t. tit. ff. de adoption.*

5.

Sunt autem justæ nuptiæ viri & mulieris (a) conjunctio, individuum vitæ consuetudinem continens (b),
A 3 vel

vel ut Modestin. definit, conjunctio maris & feminae
confortium omnis vitae (c) divini (d) & humani (e) juris
communicatio.

(a) Quibus verbis primùm excluditur polygamia.
DE V S n. *Gen. 2. v. 24.* inquit, adhærebit uxori suæ (non
uxoribus suis) & erunt duo in in carnem unam. *1. Timoth.*
3. 1. Corinth. 7. Et Labano quamvis ipse polygamus fuit,
polygamia tamen displicuit. *Gen. 31. v. 10.* Quibus con-
veniunt jura Canonica & civilia c. *gaudemus X. de divorce.*
c. nuptia 32. q. 15. l. 2. C. de incest. nupt. §. 6. & 7. Inst. de
nupt. l. 1. ff. de his qui not. infam. Constit. Crimin Carol. V. art.
121. Beza in tr. de polygam. p. 4. & seqq. Arnis. in polit. c. 3.
pag. 56. & seq. Don. 13. Com. 18. & 19. Dn. Förster. p. 1. disp.
3. tb. 9. Dissent Bernhardin. Ochin. quem refutat. Beza d. loco.
2. Excluditur Sodomia *Levit. 20. Rom. 1. l. cum vir. 31.*
C. ad L. Iul. de adult. Const. Crim. Carol. V. aut. 116. 3. Prava
illorum populorum consuetudo, quæ i uxores usurarias
habuerunt, quorum in numero fuerunt olim Saraceni
& Arabes, ut ex *Strabon. lib. 16* refert. *Arnis d. loco pag. 65.*
Quicquid n. in ea quæ non est legitima uxor, com-
missum fuerit, inquit *Ambros l. 1. ad Abrah. c. 4.* adulterij
crimine damnatur, c. *nemo blandiatur. 32. q. 4.*

(b) Quæ verba pertinent ad votum & animum con-
trahentium: Eo enim voto nuptiæ contrahi debent ut
nunquam in vita dissolvantur *arg. l. 1. ff. de I. dot. Borch.*
ad prin. tit. de nupt. Theod. Marsil. ad §. 1. d. 1. mihi pag. 65.
cum seq. quia DEI ordinatio est, ut quos ipse con-
juxit, homo non separet, *Matth. 19. v. 6.*

(c) non ejus quâ vivimus, sed facultatum & fortu-
narum *Borch. h. n. 11.* (d) sacrorum privatorum *l. adversus.*
4. C.

4. C. de crim. expil. hered. ibidemq; Gothofr. in not. Borch. ad prin. Inst. de nupt. quæ hodie per Nov. 58. & Nov. 131. c. 8. prohibita sunt. Hinc quæritur, an si inter fidelem & infidelem, nuptiæ contractæ sunt, dissolvi debeant? Affirmant plerique Canonistæ. Negativa jure Divino probatur: Sanctificatur n. maritus infidelis per fidelem, 1. Cor. 7. v. 10. & seq. Phil. Melanth. in Exam. q. an liceat. Christiano. Gothofr. ad l. ne quis. 6. C. de lud. Förster. p. 1. disp. 3. th. 15.

(e) Vxor enim sequitur forum & domicilium mariti sui, l. cum quadam. ff. de jurisd. l. mulieres. C. de dignitat. ejusque dignitatem recipit, & vidua retinet, d. l. mulieres. l. famina. ff. de sanator. usque dum secundas contrahit. nuptias l. filij. §. 1. ff. ad Municipal.

IV.

Has verò contrahunt cives Romani (a) masculi quidem puberes: fæminæ autem viri potentes (b) nisi alia ratione prohibentur.

(a) Excluduntur itaque servi, quorum conjunctio matrimonium non est; sed contubernium, l. 14. §. servi. les. ff. de R. N. l. 49. ff. de manumiss. test. Paul. lib. 2. sentent. lib. 20. Peregrini & alij Imperio Romano non subjecti. Quanquam enim horum nuptiæ secundum proprias leges legitimè sint contractæ; Romanis tamen illegitimæ sunt, Vult. ad prin. Inst. h. tit. n. 3.

(b) Pubertas a. in masculis 14. in fæminis vero 12. annis definitur per prin. tit. Inst. quib. mod. tut. fin. Hinc si minor

minor, 12. annis nupserit, legitima. Vxor non est nisi apud virum annum duodecimum expleverit *l. 4. ff. de R. N.* Iure tamen Canonico uxor etiam legitima esse potest, quæ ante annum 12. nubit: Eo enim iure pubertas non ætate, vel corporis habitu generandique potestate æstimatur *c. puberes. c. à nobis. c. de illis. despons. impuber. Schneid. p. 2. n. 10. Borch. ad prin. Inst. de nupt. & de grad. c. qua ætate matrim. contrah. mihi pag. 93. Dissent. Moldrad. per c. tuæ fraternitati. X. de sponsal. c. 2. & c. attestaciones de despons. impuber.*

VII.

Prohibentur verò quidam simpliciter, ut furiosi (a) Eunuchi, & impotentes: (b) quidam secundum quid ratione conjunctionis. Hæc autem est vel consanguinitatis, vel affinitatis. Vtraque consideratur vel in linea directâ, (c) vel collateralis, seu transversa. (d)

(a) *l. si cum. 22. § si maritus, ff. sol. matrim.* Horum nullum iudicium est nullus consensus, §. furiosus. 8. *Inst. de inutil. stipul.* qui tamen in matrimonio contrahendo principaliter requiritur *l. 3. o. ff. de R. I.* Quid verò de matrimonio ab ebrio contracto statuendum est? Dicimus illud nullius esse momenti, modò ebrietas tanta sit, ut mentis exilium inducat, *cap. sanè 15. q. 1. c. unusquisq. ibiq. gl. 22. q. 2. Beust. de sponsal. c. 6. Stur. ad l. 30. n. 32. & seq. ff. de R. I.* Qua tamen in re qualitas circumstantiarum diligenter considerari, & multum prudentis iudicis arbitrio relinqui debet. De muto & surdo quoque dubitatur, an nuptias contrahere possit? Quod cum *Luthero in libello Vom ehelichen Leben & Mauser. de matrim.*

matrim. fol. 318. affirmamus, per c. cum tu e. cum apud. X. de sponsal. l. 4. ff. eod. Dissent. quidam per l. discretis. C. qui rest. fac. poss. l. 1. ff. de V. O. (b) rot. tit. X. de frigid. & malefic l. in causis 10. C. de repud. VVesenb. in par. h. n. 4. Beza in tr. de divorce. cir. fin. Hackelm. disp. 14. th. 5. tit. B. & C.

(c) In hac linea nuptiæ inter ascendentes & descendentes in infinitum prohibitiæ sunt *l. 53. l. ult. ff. de R. N. Gen. 19. v. 31. Deut. 22. §. 1. Inst. h. tit. (d)* In qua nuptiæ de jure civili prohibitiæ sunt usque ad quartum gradum secundum computationem civilem, secundum computationem v. Canon. usque ad secundum gradum. Hinc inter consobrinos contractum matrimonium legitimum est *§. 4. Inst. h. tit. l. 3. ff. de R. N. l. 78. §. filiam. ff. ad Scm. Treb. l. in celebrandis. C. de nupt. quod jure Divino quoque probatur Gen. 29. Jos. 15. v. 17. Levit 18. Dissent. Theophil. Horrom. ad d. §4. Inst. h. t. Ant. Cont. lib. 2. subsecivar lect. c. 1. Qui itaque sororem suam ducit, incestum committit, non quidem jure gentium, sed civili, *l. ult. ff. de cond. sine causa. l. ult. ff. de R. N. l. 38. §. 1. ff. ad L. Iul. de adult. Quod enim jure gentium prohibitum est, id ab initio statim generis humani prohibitum fuit, arg. §. singulorum. II. Inst. de rer. divis. Sororem v. ducere Adam filijs ab initio concessum & licitum fuit, VVesenb. ad § 2. Inst. h. tit. Förster. d. p. 1. disp. 3. th. 24. Hæn. disp. 2. th. 9. Dissent. Caiac. ad Novel. 12. Borch. de grad. pag. 108. Vult. lib. 1. l. R. c. 19. De jure vero Canon. nuptiæ prohibitiæ sunt usque ad quartum gradum inclusive. *c. non debet. c. ult. X. de consang. & affin. In his terris usque ad 4. grad. exclusive in linea equali Ordin. Elect. fol. 188. VVesenb. in par. h. n. 4. Sic affines, qui sibi invicem parentum liberorumque loco sunt, nuptias in infinitum contrahere non possunt §. 6. & 7. Inst. h. tit. Qui vero ex latere sibi invicem con-***

B jungun-

junguntur ad quartum usque gradum, *d. cap. non debet. de consang. & affin.* Affinitas autem inter viri & uxoris cognatos propriè non contrahitur *l. s. C. de incest. nupt. §. 8. Inst. h. tit. Alber. Centil. lib. 5. de nupt. c. 12. Dissent. Duar. ad tit. sol. matrim. c. 3.*

VIII.

Ad formam matrimonij requiritur consensus: (a) non tantùm contrahentium; verum etiam eorum, in quorum potestate sunt, tam jure divino (b) gentium (c) Canonico (d) quàm civili (e) in tantum ut præcedere debeat. (f)

(a) *l. 30. ff. de R. l. l. 15. ff. de condit. & demonstr. l. 2. l. miles. 35. ff. de R. N. Nov. 22. 74. & 117.* Quid igitur sentiendum de sponsæ in domum deductione. *Hott. lib. 4. obs. 26. & q. illust. 25.* existimat, eam ad formam nuptiarum requiri. Sed rectius sentiunt, qui solam γαμικὴν διαθεσιν de jure civili sufficere, & deductionem sponsæ in domum mariti externum saltem nuptiarum ritum apud Romanos fuisse asserunt, *Borch. de grad. pag. 87. Arnis. in polit. c. 3. fol. 55. Bronch. cent. 3. assert. 7. Duar. ad tit. ff. solut. matrim. §. quomodo nupt. contrah.* Hodie de communi consuetudine & jure Canon. requiritur quoque benedictio Sacerdotalis *c. 4. de sponsal. c. aliter. 30. q. 5. Wesenb. de R. N. n. 5. Borch d. loco. Duar. d. loco. c. quomodo matrim. contrah.* Hinc si quis se legitimè natum probare vult, à parentibus suis nuptias publice celebratas esse & Sacerdotalem benedictionem intervenisse probare debet.

(b) *Ierem. 29. 1. Corinth. 7. Genes. 24. 27. & 28. Exod. 21. 22. Bronch. cent. 3. ass. 1. Hæn. disp. 2. th. 3. Schneid. de matrim. mihi pag. 456. Hackelm. disp. 14. th. 6. (c) pr. tit. ibi naturalis & civilis ratio, l. 2. ff. de l. & l. l. 3. C. de in jus vocand.*

cand. l. 1. & 2. ff. de obs. prest. Gothofr. ad l. 25. ff. de R. N. Förster p. 1. disp. 3. th. 19. VVesenb. ad pr. tit. h. n. 7. Dissent. Guibert. Costan. lib. 1. qq. memorab. c. 12. Ant. Cont. lib. 1. subsec. lect. c. 4. n. 1. & 2. (d) c. aliter. 30. q. 5. c. si verum. 31. q. 2. c. non omnis. §. fin. c. hoc sanctum, c. honorantur. 32. q. 2. c. sufficiat. 27. q. 2. Cui accedit quod Canonistæ ubiq; protestentur, se sacros Canones sequi, quibus parentum cōsensū requiri jam probatū est. Don. 13. Com. 20. Borch. d. loco. pag. 40. Vult. h. n. 16. & seq. Dissent. Costan. d. loco. n. 23. Decius ad l. 30. ff. de R. I. Ant. Matth. in not. h. Fachin. lib. 3. controu. c. 44. in pr. non de necessitate, sed de honestate requiri parentum consensum statuentes: Quorum sententia etiam confirmata est à patribus Concilij Trident. sess. 24. in decret. de matrim. clandest. Ant. Matth. disp. 2. th. 4. Ascan. Clement. Amerin. in tr. de patr. potest. effect. 6. n. 5. cum seq. mihi fol. 93. ubi plures pro hac sententia allegat.

(e) l. 2. l. 35. ff. de R. N. l. ult. C. de repud. l. 12. l. 20. C. de nupt. Ratio hujus juris duplex est, Patria potestas, pr. hujus tit, 2. Ne invito patri filius agnascatur, §. Et tām Instit. de adopt. Dissent. Guibert. Costan. d. lib. 1. qq. jur. civil. c. 12. Et quia posterior ratio etiam locum habet in patre, qui adhuc in sui patris potestate est, ejus consensum in nuptijs filij sui non minus quàm avi requiri, si modo mortuò eo in patris potestatem filius recasurus sit, concludimus cum Hoen. disp. 2. th. 4.

(f) prin. tit. de nupt. ubi Imp. consensum parentum ita requirit, ut jussus eorum præcedere debeat. Cui consequens est, rati habitationem non sufficere, ut qui ante eam nati sunt liberi, legitimi sint & in patris sui potestate. l. 13. §. 6. ff. ad L. Iul. de adult. l. si quis. 38. l. eos qui. ff. de R. N. l. 11 ff. de stat. hom. l. 6. C. de nupt. l. 68. ff. de I. dot. Cuiac. 3. obs. 5. Hott. Illustr. qq. 9. Borch. ad pr. Inst. de nupt.

Vult. lib. I. I. R. c. 18. Dissent. Costan. de matrim. c. de ritu nupt.
§. an nuptia sine consensu. Ves. h. n. 1. Quia verò tacitus
quoque consensus sufficit *l. 5. C. de nupt. l. 4. ff. de spon.*
cum Vult. d. loco. n. 90. cum seq. & Crispin. in not. h. iustum
pro consensu accipimus. *Dissent. Pacius in not. h.*

IX.

In emancipati ergo filij nuptijs patris consensus
denuò non requiritur (a). Si verò filia emancipata mi-
nor 25. annis nupserit, ejus consensum necessarium
esse, Imp. rescripserunt. (b)

(a) *l. filius. 25. ff. de R. N.* Ratio est, quia per eman-
cipationem pater nuptijs filij consentire censetur: O-
mnia enim quæ antea non poterat, faciendi potestatem
filio concedit. (b) *l. 18. & l. 20. C. de nupt.* Ratio videtur
esse in sexus imbecillitate, cum foeminae maximè verò
hujus ætatis, plerunque contra propriam utilitatem la-
borare intelligantur *arg. l. 1. ff. de minor.*

Quia verò mater filium in potestate non habet §.
foemina. Inst. de adopt. eique suus heres agnasci non potest,
in nuptijs filij de jure civili ejus consensus non requiri-
tur. *l. nulla. ff. de suis & legit. §. cateri. Inst. de her. qual. &*
diff. Requiritur tamen de jure naturali *l. 1. & 2. ff. de*
obs. à lib. prest. l. 6. ff. de in jus vocand. l. 3. C. eod. Hott. §. I.
Inst. h. tit. Ant. Matth. disp. 2. th. 6. Et hoc confirmatur.
Ord. Eccles. sub. tit. von Ehegelübnußen & in his terris quo-
tidiè observatur. Quod si tamen pater & mater concur-
runt & dissentiunt, patris consensus matris non imme-
ritò præfertur. 1. propter civilem & naturalem ratio-
nem, quæ sola in matre militat. 2. quia maritus caput est
uxoris. *Coloss. 3. v. 18. Gen. 3.* Sic Tobias non à matre sed
à patre uxorem petere jubetur *Tob. 6. v. 12.* Cæterum in
nuptijs filiae auxilio patris destituta consensus matris
jura

jura quoque civilia de necessitate requirunt *l. 1. l. 20. C. de nupt. Borch. de grad. pag. 53. Don. lib. 13. Com. c. 20. pag. 206. Hott. Ill. q. 9.* Causam autem dissentiendi parentes justam habere debent. Hinc quaeritur, an si filius vel filia clandestina sponsalia contraxit, eo ipso parentes justam dissentiendi causam habeant? Affirmamus cum *Luthero in libello vom Ehelichen Leben tit. 1. §. zum dritten Beza de repud. pag. 112. & pag. 211.* Qua tamen in re personar. & circumstantiarum ratio habenda, multumq; judicis discretioni & arbitrio relinquendum est. *Beust. de matrim. p. 2. c. 46. cir. f.*

X.

Consensui a, nihil tam contrarium est, quam metus & error (a) qui quadruplex est, (b) personæ (c) conditionis (d) fortunæ (e) & qualitatis. (f)

(a) *l. nihil 116. ff. de R. I. Matrimonium itaque metu contractum ipso jure nullum est c. veniens. c. cum locum. X. de sponsal. c. significavit. X. de eo qui lux. uxor. Gail. lib. 2. obs. 93. Fach. lib. 3. contrav. c. 40. & c. 28. VVurms. pract. obs. 36. Bronch. cent. 3. ass. 6.* Non tamen quemvis metum intelligimus sed eum qui in virum constantem cadere potest *l. metum ff. quod met. caus.* Hinc metum reverentialem excludimus, nisi simul metus facti intervenerit. *Gail. d. loco. Beust. p. 2. c. 44. Menoch. lib. 2. arb. qq. cent. 2. cas. 135. (b) c. 1. 29. q. 1. Manser. de nupt. §. sunt & alia.*

(c) Hic matrimonium impedit *d. c. 1. c. tua. X. de sponsal. Luther in libell. vom Ehelichen Leben art. 4. §. in diesem Artikel Manser. d. loco. Schneid. de nupt. p. 4. n. 56.*

(d) Idem de errore conditionis constitutum est *d. c. 1. 29. q. 1. c. 2. & ult. X. de conjug. servor.* (e) Error v. fortunæ nuptijs non obstat *d. c. 1. Schneid. d. loco. n. 58.* (f) Circa errorem qualitatis disputant Dd, an si quis vitia

tam quo virgine duxerit, matrimonium rescindi possit? Negativa probari quidem videtur per *d. c. 1, 29. q. 1.* cui astipulantur *Vvesenb. in par. de R. N. n. 18. Bronch. cent. 3. esp. 3. Hart. Hart. lib. 1. obs. de matrim. c. 3.* Sed affirmativa juri Divino & humano consentanea est: *Deut. 22. v. 14. Matth. 1. v. 19. l. 27. ff. de R. I. Error. n. hic non est simplicis qualitatis, sed substantialis l. in venditionibus. §. ult. ff. de contrah. empt. Manser. d. loco. vers. sed quod pag. 376. Phil. Hæn. disp. 2. tb. 7.* Et hanc sententiam tenent Theol. & Cōsistoriales nostri *Phil. Melanth. in loco de coniug. Schneid. d. p. 4. n. 59. cum seq. Beust, de matrim. p. 2. c. 34. Manser. d. loco.*

XI.

Vbicunque ergo parentum consensus requiritur, & matrimonium sine eo contrahitur, ipso jure nullum est (a) nec dos debetur (b) nec liberi in potestate patris sunt, sed eodem jure, hoc respectu cum spurijs censentur. (c)

(a) §. *si adversus. 12. Inst. h. tit.* si tamen copula carnalis intervenerit, ob utilitatem publicam & æquitatē rescindendum non est. 1. ne benè concordantia matrimonia rescindantur *l. 1. inf. ff. de lib. exhib. 2.* quia si rescinderetur, nullum inde parentes commodum sentirent, sed damnum: Filia n. vix alium honestum maritum invenire: filius verò in alia graviora delicta incidere, facilimè posset. Quando itaque contra hanc rationem parentes matrimonium rescindere volunt, non pietatem erga filios filiasve, sed atrocitatem demonstrant in qua patria potestas non consistit *l. 5. ff. ad L. Pomp. de parricid.* Facit quoq; c. cum causa X. *de raptor. l. patre. in f. ff. de his qui sunt sui vel al. jur. Schneid. p. 2. n. 26. Phil. in loco. de conjug. tit. de consens. parent. Beust. p. 2. c. 46.*

mibi

mibi pag. 190. *Vvesenb. in par. h. n. 8. Dissent. Duar. ad tit. sol. matrim. Beza de divort. pag. 144. & seq.*

(b) Dos 'n. sine matrimonio esse non potest *l. 3. ff. de jure dot.* Cùm ergo non entis nullæ sint qualitates, rectè concludunt *Heig. ad prin. h. n. 29. & seq. Hæn. disp. 2. th. 12.* patrem ad dotandum filiam hoc in casu non teneri. *Dissent. cum Decio ad l. 30. ff. de R. I. Fachin. lib. 3. contr. c. 45. Abbas in c. 1. de sponsal.* quem allegat & sequitur, *Ascan. Clement. d. tr. de patr. pot. effect. 6. n. 12. & seq. mibi fol. 94.* Sic communiter quoque statuunt, filiam propterea, quòd absq; parentum consensu nuptias contraxit, exheredari non posse: Quæ sententiâ quoq; confirmari videtur jure Saxon. *lib. 1. Landtr art. 5. Vvesenb. ad tit. de lib. & postum. n. 5.* Contrarium tamen in filia minorenni de jure civili probatur per *Novel. 115. §. II.* Idem juris in filijs statuimus propter idenditatem rationis si minores absque parentum consensu matrimonium contrahunt, *Hæn. d. loco. th. II. Arum. disp. 2. th. II. Hackelm. disp. 14. th. 7. Costal. ad l. 19. ff. de R. N. Borch. de grad. p. 7. & ad prin. Instit. de nupt. Ordin. Eccles. subtit von Ehegelübnuß Beust. de sponsal p. 1. c. 20. Dissent. Ascan. Clem. d. loco. & Dd. pleriq;*

(c) Disputant autem Dd. utrum spurij infamia notentur? Nos simpliciter spurium quatenus spurius est, infamiâ non notari asserimus. Licet enim spurius in honestè vivens infamiâ notatur, non tamen notatur quatenus est spurius. ¶ *Quid* enim si legitimè natus turpiter vivat? Videantur ad hanc quæstion *Modest. pistor. cons. 46. vol. 1. Fachin. lib. 4. contr. c. 93. Toming. Decis. 48. n. 10. & seqq. Dn. Förster. p. 1. disp. 13. th. 20. Hæn. disp. 2. th. 13.*

Secunda

XII.

Secunda causa constituendæ patriæ potestatis est legitimatio, quæ fit tribus potissimum modis, per subsequens matrimonium (a) oblationem curiæ (b) & rescriptum principis. (c) His Justin. addit quartum modum per nominationem filij (d)

(a) §. ult. Inst. h. tit. & hæc legitimatio omnium perfectissima est, & tantam habet vim ut liberi non tantum post, sed etiam ante matrimonium nati legitimi sint, l. 10. l. 11. C. de natur. liber. Nov. 74. & 89. & nihil differant à liberis ex justo matrimonio procreatis c. tanta. qui filij sint legit. eoque jus civitatis & agnationis habeant. Hart. pist. 3. q. 41. Hinc statuta Artificum Mechanicorum de non recipiendis in ordinem illegitimè natis, ad legitimatos per subsequens matrimonium, non pertinent Vves. ad §. ult. Inst. h. tit. n. 3. inf. De nepotibus, an post obitum patris legitimari possint, quæritur. Affirmamus cum Fachin. lib. 3. contr. c. 56. Hænon. disp. 2. th. 16. Treutl. disp. 2. th. 7. Dissent. Andr. Gail. 2. obs. 141. inf. Tiraq. de jure primog. q. 34. n. 64. & seqq. Nihil autem interest, matrimonium justum & legitimum intercesserit nec ne, d. c. tanta. Nov. 74. & 89. c. 2. Borch. de feud. c. 7. n. 49. Sic nec instrumenta dotalia requirimus Nov. 117. c. 2. l. 4. §. 4. C. de Advoc. divers. jud. l. 11. in prin. C. de repud. Cuiac. 13. obs. 4. Förster. p. 1. disp. 3. th. 26. Don. 2. Cons. c. 21. Vves. Cons. 44. n. 44. d. c. tanta. qui fil. sint legit. c. cum prohibitio. de Clandest. sponsal. Dissent. Borch. de feud. c. 7. p. 2. n. 18. & seq. & de grad. mibi pag. 188. Fachin. 2. contr. nov. c. 51. Hænon. d. loco. th. 18. Consensus eorum qui legitimantur, necessarius est, c. generaliter. aut. quib. mod. natur. efficiant. sui. Ratio est, quia in invitum non confertur beneficium, l. invito ff. de R. I. & si filius legitimari nolit dubium

bium non est, quin juri suo renuntiare possit, *Hæn. disp.*
2. th. 17. Don. lib. 2. Corn. C. 21. Fachin. lib. 3. contr. 54. De-
nique legitimatio hæc etiam in articulo mortis fieri
potest, *l. 106. ff. de cond. & demonstr. l. 19. C. de natur. lib.*
Nov. 117. c. 2 Vers. ex hoc enim Borch. de gr. pag. 188. Gail.
lib. 2. obs. 141. n. 8. Dissent. quidam arg. l. 1. l. 22. §. 7. ff. sol.
matrim. l. liberorum. 220. §. præter her. 3. ff. de V. s. l. ult. §.
1. ff. de susp. tutor. l. 8. §. 20. ff. de transact. (b) l. 3. & 4. C. de
natur. liber. Nov. 89. Vide Borch. de gr. pag. 199.

(c) *l. qui in provincia. §. Divus. ff. de R. N. Nov. 74.* Et
si ab ipso patre legitimatio petita fuerit, consanguineo-
rum consensus non requiritur *l. cum adoptio 7. ff. de adopt.*
Nov. 89. §. 9. Secus si ipsi filij post mortem patris legitima-
tionem postulaverint *l. vii. ff. de natal. restit. l. nam &*
ita 39. ff. de adopt. (d) hoc modo si pater naturalem filium
in testamento vel aliquo publico instrumento filium
suum nominat, filius legitimatur Nov. 117. C. 2. auth. si
quis. C. de liber. natur. Gail. 2. obs. et 2. n. 16.

XIII.

Deniq; adoptio facit, ut liberi in potestate patria sint.
(a) Est autem duplex adoptio in specie ita dicta. (b) &
arrogatio (c).

(a) *l. 1. & 201. tit. ff. de adopt. pr. tit. Inst. eod. (b) l. 2. ff.*
d. tit. Adoptamus autem filium familias, arrogamus
eum qui sui juris est *l. 1. & 2. ff. d. tit.* Hodie extraneus
in adoptionem datus in familiam patris adoptivi non
transit §. *Sed hodie Inst. h. t. §. 8. Inst. quib. mod. jus patr. pot.*
§. 14. Inst. de her. qua ab intest. l. pen. in pr. & §. 1. C. h. t. Dissent.
Arum. disp. 2. th. 20. Ant. Matth. in not. ad §. 1. Inst. h. t.
Vtriq; tamen patri succedit, adoptivi & naturali §. 14.
Inst. de her. qua ab intest. auth. in successioneibus C. de suis & le-
git. Quid si avo materno quis in optionem datus sit? In

C

po testa.

potestatem ejus transit, & utriq; patri succedit, *Don. 9. Com. c. 2. Dissent.* quo ad posterius *Schneid. ad §. 2. Inst. de adopt.* Quibus consequenter quæritur, an plebeius à Nobili adoptatus Nobilis fiat? Negamus *cum Hæn. disp. 2. th. 19.* Nobilitas enim vel innata est, & à parentibus per sanguinem in liberos transmissa vel acquisita. Sed neq; illa adoptione acquiri potest, quia ratio sanguinis cessat: Neque hæc; Acquiritur enim per virtutes, & est habitus, qui in alium transferri nequit. *Disp. Arum d. loco. th. 21.* Non tamen negamus quod plebeius à Nobili adoptatus ex nobilitate patris non nihil illustrior efficiatur. *Tiraq. de nobil. c. 15. n. 5. & seq.*

(c) ita dicta à rogando. Rogatur enim is qui adoptat h. e. interrogatur, an velit eum, quem adoptaturus sit, justum filium esse, & is qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiatur *l. 2. ff. de adopt.* Non tamen solennis stipulatio in arrogatione necessaria est, *l. si pater 29. ff. h. tit. arg. l. 7. & 12. ff. de pact. l. 49. ff. de adopt. junct. l. 5. in pr. ff. de V. O. Don. 2. Com. c. 23. Cui ac lib. 9. obs. c. 37. Con. 2. Com. 15. n. 4.* Arrogatio autem non aliter admittitur, nisi causa cognitâ *l. 15. l. 18. & 22. ff. h. tit.* ejusq; tantus est effectus, ut pater filium arrogatum impuberem absq; causæ cognitione emancipare nequeat, *§. 3. Inst. h. tit.* & si sine justa causa eum emancipaverit, tenetur & relinquere quartam partem omnium bonorum suorum præter ea quæ filius arrogatus ad eum transtulit, *d. §. 3. Inst. h. tit. l. 22. ff. eod. l. 8. §. 15. ff. de inoff. test. l. ult. ff. si quid in fraud. l. 2. C. h. t. Först. p. 1. disp. 3. th. 27. Don. 2. Com. 23. Vaud. lib. 1. Var. q. 29. Dissent. Vult. 1. I. R. l. 22.*

XIV.

Modi quibus patria potestas solvitur, à Justin. septem recensentur, mors naturalis, deportatio (a) servitus poenæ

pœnæ (b) dignitas patritiatus (c) captivitas (d) emancipatio (e) adoptio ab ascendente facta, (f)

(a) quæ in locum aquæ & ignis interdictionis successit, *l. pen. ff. de nar. & extraord. cognit. l. 2. §. 1. ff. de pœn. l. 3. ff. ad L. lul. pecul.* Huic hodie bannum Imperij æquiparatur *Gæd. de contrab. stip. c. 5. concl. 4. n. 31. & seq. Coras. lib. 1. miscel. c. 24. Gail. lib. 2. de pac. publ. c. 1.* (b) quæ hodie sublata est *Nov. 22. 19. & inde desumpta auth. sed hodie. C. de don. inter vir & uxor.* (c) Patritij autem hic sunt principum consiliarij: Hos enim Augusta Majestas patritios fecit h. e. patres sibi elegit *l. ult. C. de consul. Borch. h. Ant. Matth. in not. h.* Hinc quæruut Dd. an dignitas Doctoratus à patria potestate liberet? Negamus cum *Petr. Heig. ad §. 4. Inst. h. t.* Quid verò de monachismo statuendum? Eum à patria potestate liberare *cum Dn. Först. p. 1. disp. 3. th. ult. Heig. de loco. n. 4. Costal. in l. lis nulla ff. de jud. contra Cuiac. in par. C. de emancip. & Pinel. in l. 1. p. 1. n. 45. & seq.* statuimus, quia monachus non patri sed monasterio acquirit *l. 20. cum auth. seq. C. de Episc. & Cler.* (d) *§. 5. Inst. h. tit.* (e) *§. 6. d. tit.* Hæc olim per imaginarias venditiones & iutercedentes manumissiones celebrabatur.

Hodie sufficit, si parentes coram Magistratu competententi voluntatem suam declarant, & absq; solennitate liberos à manu sua dimittunt. *d. §. 6. l. ult. C. de emancip.* Nec scripturam requirimus, quia adoptio est voluntariæ jurisdictionis *l. 4. C. h. tit. Heig. ad §. 8. Inst. h. tit. n. 3. Dissent. Myns. ad d. §. 8. quem sequitur Hænon.* (f) *§. 8. Inst. h. t. d. disp. 2. th. ult.* Diverso itaq; respectu adoptio est modus constituendæ & dissolvendæ patriæ potestatis. His modis alij addunt matrimonium, statuenres etiam eo patriam potestatem dissolvi. Horum sententia

quamvis ubiq; fere locorum consuetudine & in his ter-
ris *Elect. Const.* 10. p. 2. confirmata sit: Iuri tamen civili
consentanea non est §. 9. *Inst. h. tit. l. 1. §. 5. ff. de lib. exhib.*
l. 12. C. de collat. l. 7. C. de nupt. l. pronuntiatio §. 2. & ult. ff.
de V. S. Ascan. Clem. de patr. pot. c. 5. n. 76. Schneid. ad §.
Sed etsi n. 4. & Seq. Inst. h. t. Arum. disp. 2. th. 24.



Ad Dn. Respondentem.

Ergo iterum placet in dissertandi ire palæstram,

Et sua salva pio reddere jura patri?

*Rectum IAN E, facis: sic, quod non subycit unquam
Ius se ulli, tua mens sub sua jura vocat.*

Iohannes Blaufus Mon-
sterbergâ SiL.



li
b.
ff.
d.

...

05 A 2362


3


ULB Halle
003 784 290



V077







DISPUTATIO IURIDICA
De
PATRIA POTESTA-
TE, NVPTIIS, LEGITIMATIO-
ne, adoptione, & modis dissolvendæ
patriæ potestatis.

Extit. 9. 10. 11. & 12. Instit.

Quam

In celeberrima VVitebergenſium Acade-
mia.

Sub præſidio.

Dn. ALEXANDRI FABRI
J. U. D.

*Ad diem 4. Maij private Nobiliſſimorum & Doctiſ-
ſimorum Dnn. Collegarum diſcuſſioni horis matutinis
& pomeridian. ſubiiciet, & defendere anni-
tetur.*

IOHANNES GEBHARDVS
Reinhardio Glaceniſis.

WITTEBERGÆ
Ex Typographia Andreae Rüdingeri
ANNO 1611.